

proëmio Metaph.) ideo prius cognoscit ens, quam species; et secundum hoc dicitur ad argumentum, quod major est vera cæteris paribus: non autem ubi aliqua imparitas sicut in proposito accidit, præponderans invenitur: multo enim plura singularia entis præponderant paucioribus singularibus speciis, sicut plus trahunt mille homines non nimis fortes, quam decem fortes.

Ad sextum dicitur, quod major simpliciter est falsa. Ad auctoritatem philosophi dicitur primo, quod textus Commentatoris est corruptus: debet enim legi confusa et non composita. Dicitur secundo, ut salvemus Commentatorem, quod compositum est notius suis componentibus, ut sic, non autem absolute: unde prius confuse cognosco hominem, quam partes ejus definitivas ut sic; absolute tamen prius cognosco magis universale. Ex his apparet veritas minoris auctoritate Avicennæ approbata.

Deinde reddit auditores attentos, dicendorum difficultatem aperiens, tria proponendo, quid nomine essentis et entis significetur, et quomodo in diversis diversimode inveniantur, et quomodo se habeant ad intentiones logicas. Horum enim difficultas non modica est, ut diversitas opinionum circa ipsa testatur: sunt enim maxime universalis, que sunt difficillima ad cognoscendum, ut dicitur I Metaph.

Circa hæc particulam nota, quod sicut quid rei est quidditas rei, ita quid nominis est quidditas nominis; nomen autem cum essentialiter sit nota earum que sunt objective in anima passionum (ex I Perihermenas) non habet aliam quidditatem nisi hæc, quod est signum alicujus rei intellectæ seu cogitata: signum autem ut sic, relativum est ad signatum: unde cognoscere quid nominis nihil est aliud, quam cognoscere ad quod tale nomen habet relationem, ut signum ad signatum. Talis autem cognitio potest acquiri per accidentalia illius signati, per communia, per essentialia, per nutus, et quibusvis aliis modis, sicut a Græco quærentibus nobis (quid nominis anthropos) si digito ostendatur homo, jam percipimus quid nominis; et similiter de aliis. Interrogantibus vero quid rei, oportet assignare id quod convenit rei significatæ in primo modo perceptis adæquate. Et hæc est essentialis differentia inter quid nominis et quid rei, scilicet, quod quid nominis est relatio nominis ad signatum: quid rei vero est rei relatæ seu significatæ essentia; et ex hac differentia sequuntur omnes aliæ que dici solent, puta quod quid nominis sit non entium complexorum, per accidentalia, per communia, per extranea; quid rei vero est entium incomplexorum per propria et essentialia: relatio enim vocis potest terminari ad non entia in rerum natura, et complexa, et declarari per accidentalia, et hujusmodi; essentia autem rei non nisi per propria essentialia habetur de entibus incomplexis.

Quia vero ex compositis cognitionem simplicium accipere debemus, et ex posterioribus devenire in priora, ut a facillioribus incipientibus convenienter fiat disciplina: ideo ex significatione entis ad significationem essentis procedendum est.

In hac tertia parte proëmii reddit auditores dociles ordinem dicendorum proponens tali conclusione: Ab ente ad essentiam procedendum est. Quam probat duplici modo. Primo sic: ex compositis ad simplicia procedendum est; sed ens est velut compositum, et essentia velut simplex: ergo ab ente ad essentiam procedendum est. Secundo sic: ex

posterioribus in priora procedendum est: sed ens est posterius essentia: ergo ab ente ad essentiam procedendum est. Major utriusque rationis probatur: quia ex facillioribus est inchoandum; composita autem et posteriora sunt facilliora nobis simplicibus.

Circa minorem primæ rationis nota, quod ens, ut infra dicitur, significat id quod habet esse: id autem quod habet esse, comprehendit in se essentiam; essentia vero significat id quod importat definitio, ut dicitur, que non dicit esse vel non esse, ex primo posteriorum: ens ergo ita se habet ad essentiam, quod complectitur in se utrumque, essentiam scilicet et esse; essentia vero alterum tantum, et ideo ens appellatur compositum respectu essentia.

Circa majorem secundæ rationis scito, quod quando dicimus: ex posterioribus procedendum est, intelligitur ex posterioribus secundum naturam, prioribus quoad nos: innata enim est nobis via ex notioribus nobis in ignotiora naturæ, ut dicitur I Physic., text. comment. n. Minor secundæ rationis probatur ex eo, quod compositum est posterior componentibus, et ens (ut dictum est) compositum est respectu essentia.

CAPUT I

*Entis et essentia nomine quidnam significetur, ostendit.
Nomina item varia ponit, que essentiam significant.*

Sciendum est, quod sicut in V Metaphysicæ philosophus dicit, ens per se dicitur dupliciter. Uno modo, quod dividitur per decem genera. Alio modo, quod significat propositionum veritatem. Horum unius differentia est, quia secundo modo potest dici ens omne illud, de quo affirmativa propositio formari potest, etiam si illud in re nihil ponat: per quem modum privationes et negationes entia dicuntur; dicimus enim quod affirmatio est opposita negationi, et quod cæcitas est in oculo. Sed primo modo non potest dici aliquid quod sit ens, nisi quod in re aliquid ponat. Unde primo modo cæcitas et hujusmodi non sunt entia. Nomen igitur essentia non sumitur ab ente secundo modo dicto: aliqua enim dicuntur hoc modo entia, quæ essentiam non habent, ut patet in privationibus; sed sumitur essentia ab ente primo modo dicto. Unde Comment. in eodem loco dicit: Ens primo modo dictum est, quod significat substantiam rei.

Hic incipit tractatus divisus in duas partes. In quarum prima declaratur quid nomine Entis et Essentia significetur. In secunda vero quomodo essentia in diversis diversimode inveniat. Pars prima unico absolutiviter capitulo, pars secunda sex: et sic totum integrant tractatum capitula septem. Quorum primum, quod præ manibus habemus, tres partes continet: in prima declaratur quid nomine Entis significetur; in secunda quid nomine Essentia; in tertia differentia nominum ipsius essentia designatur. Primum tali divisione declaratur, ens per se dupliciter dicitur: uno modo, ut dividitur per decem genera, alio modo ut significat veritatem propositionum: quemadmodum dicit Arist., V Metaph., text.

comment. xiv. Dixit ens per se ad differentiam entis per accidens aggregati ex rebus diversorum generum, ut homo albus: de quo habes V Metaph., lex. comment. xiii. Et innuit, quod tripliciter differant ens primo modo, et ens secundo modo. Primo, quia ens primo modo predicatur non nisi de rebus existentibus in decem generibus, ens autem secundo modo predicatur de omni eo, quod potest esse subiectum propositionis affirmativæ. Secundo differunt: quia ens primo modo est illud compositum, de quo supra diximus, quod aliquo modo complexetur in se essentiam et esse, ens autem secundo modo non est huiusmodi: quum aliquid est hoc modo ens (puta negatio aut chimera) quod non habet essentiam aliquam. Et ex hoc sequitur tertia differentia, quod ab ente primo modo tanquam a composito notiori Essentiæ nomen sumitur: non autem secundo modo.

Circa primam differentiam adverte primo, quod veritas propositionis, quæ est entis secundo modo significati, nihil aliud est quam compositio facta in secunda operatione intellectus objecto conformis, verbi gratia, Sortes est cæcus, ly est non significat inherentiam cæcitatæ in Sorte, eo quod cæcitas omni inherenter caret, cum inherere realium accidentium sit: sed significat compositionem factam ab intellectu adæquante seipsum per illam objecto, Sorti scilicet, carente virtute visiva, unde V Metaph. in alia littera dicitur, quod ens significans veritatem propositionis, significat quoniam propositio est vera. Prima autem significatio entis quid sit, infra videbitur.

Adverte secundo quod licet nullo intellectu considerante Sortes sit cæcus, et per considerationem intellectus non fiat magis vel minus cæcus: tamen cæcitas nullo intellectu considerante nullum habet esse in Sorte, stant enim ista duo simul. Quod sic declarat, Sortem esse cæcum, ut sic, non est Sortem habere aliquid esse substantiale, ut patet, nec accidentale, quia Sortes si cæcus sola absentia visiva virtutis, quæ nihil supra Sortem addit: unde cæcitas nullum esse omnino ponit in Sorte: ac per hoc quod absque omni consideratione intellectus virtus visiva Sorti non inest, oportet Sortem nullo intellectu considerante esse cæcum. Dubitatio autem in hac re accidit, quia non recte inspicitur quod esse cæcum non est esse aliquid, sed carere virtute visiva. Exemplum, Navis caret gubernatore nullo intellectu considerante, absentia tamen gubernantis nullum esse substantiale, aut accidentale ponit in nave, unde navem esse sine gubernatore extra animam non est esse aliquid, sed non esse gubernatam. Acquirunt autem esse et fiunt entia privationes et negationes, ex hoc quod intellectus intelligens privationes per habitus, et negationes per affirmationes format in seipso rei carentis aliquo modo idolum quoddam. Verbi gratia, cum intellectus format in se idolum quoddam navis gubernatore carentis, quod est ista propositio mentalis, Navis est sine gubernatore, non presentia gubernatoris, quæ extra animam nihil ponit in anima, fit ens per hoc quod intellectus fecit ipsam propositionis terminum aliquem, et cum hoc esse sit in anima, et nullum aliud esse habeat: consequens est quod negationes huiusmodi et privationes non sint entia nisi in anima objective, et sic earum esse nihil aliud est, quam intelligi, quomodo tantum omnia entia rationis habent esse.

Circa tertiam differentiam advertendum est, quod cum nomina sint signa conceptuum, secundum ordinem concipiendi est et ordo nominandi: propterea sicut ab ente primo modo tanquam a composito nobis

notiori essentiæ notitiam suspicimus: sic Essentiæ nomen ab ente originem habet.

Et quia, ut dictum est, ens hoc modo dictum dividitur per decem genera, oportet quod essentia significet aliquid commune omnibus naturis, per quas diversa entia in diversis generibus et speciebus collocantur, sicut humanitas est essentia hominis: et sic de aliis.

In hac secunda particula declaratur quod nomine Essentiæ importetur tali conclusione, Essentia significet quoddam commune omnibus naturis omnium entium. Cujus talem declarationem insinuat: sicut ens significat aliquid commune omnibus existentibus, ita essentia, cum ab illo sumatur, significat aliquid commune omnibus generibus et speciebus: et sicut ens significat id quod est in quolibet genere et qualibet specie, ita essentia oportet quod significet id quo aliquid est in quocunque genere et quavis specie; habent enim se ens et essentia ut quod et quo. Cum autem naturæ rerum sint illæ, quibus res reponuntur in generibus et speciebus, sequitur quod essentia significet aliquid commune omnibus naturis rerum: unde quemadmodum ens predicatur de homine, bove, et similibus, quæ sunt in generibus, ita essentia predicatur de humanitate et bonitate, quibus in generibus reponuntur. Per nomen ergo Essentiæ intelligitur natura rei, sicut per nomen Entis, id quod habet naturam illam.

QUÆSTIO II

Num Ens et Essentia significant immediate ipsa prædicamenta, et illorum naturas, an mediate.

Circa hanc particulam insurgit dubitatio valde difficilis: an ens et essentia significant immediate ipsa prædicamenta seu naturas eorum, an mediate. In hac dubitatione tria agam. Primo declarabitur titulus questionis; secundo adducetur opinio Scoti, et impugnabitur; tertio ponetur opinio S. Thomæ.

Pro primo scito, quod significare mediate in proposito est significare aliquid mediante aliquo superiori: sicut animal significat species suas mediate (mediante scilicet natura sensibili), non enim animal significat hominem, nisi quia homo est substantia animata sensibilis. Significare immediate est significare aliquid non per aliquam naturam seu realitatem superiorem, sed per ipsam primo: sicut animal significat gradum sensitivum seu realitatem sensitivam immediate, ut patet. Veritur ergo in dubium hoc, an ens significet aliquem gradum seu aliquam realitatem abstrahibilem a naturis prædicamentibus communem eis sicut superius essentialia suis inferioribus, et sic mediate significet prædicamenta: an immediate significet ipsas naturas prædicamentales. Hæc de primo.

Quoad secundum Scotus ut colligitur ex I Sent., dis. iii, q. 1 et 3, et dis. viii, q. 2, opinatur, quod ens significet decem prædicamenta mediate: imaginatur enim quod a quibuscunque similibus fit abstrahibilis una realitas objectiva utriusque communis et prior utroque: et sic cum substantia et accidens habeant similitudinem in ente, ab eis est abstrahibilis una ratio objectalis utriusque communis et prior tam substantia,

quam accidente quod nomine entis significatur. Quod ut melius intelligatur pono processum istarum abstractionum diffuse. Cum enim Sortes conveniat cum Platone in humanitate et non cum Brunello, ab eis potest abstrahi humanitas communis et prior eis; et inde cum homo conveniat cum Brunello in sensibilitate et non cum planta, ab eis potest abstrahi animalitas communis et prior eis; et inde cum animal conveniat cum planta in vegetabilitate, et non cum lapide, ab eis potest abstrahi vita communis et prior eis; inde cum vivam conveniat cum lapide in corporeitate et non cum intelligentiis, ab eis potest abstrahi corporeitas communis et prior eis; inde cum corpus conveniat intelligentiis in substantialitate, et non cum accidentibus, ab eis potest abstrahi substantialitas communis et prior eis; inde cum substantia conveniat cum accidente in entitate reali, et non cum entibus rationis, ab eis est abstrahibilis entitas communis et prior eis; et cum hic realitas ultimo abstrahibilis sit illa, quam significat ens immediate, oportet quod predicamentales realitates sui naturae mediate sub entis significatione claudantur.

Ad hanc positionem confirmandam multa possent adduci media, quae ne digrediamur ad analogiam entis et comparationem transcendentium ad praedicamenta, an scilicet sint eorum praedicta quidditativa vel non, omittimus pro nunc; quia infra specialiter erunt de his quaestiones.

Contra hanc opinionem arguo dupliciter. Primo auctoritate Arist., VIII Met., text. com. xvi, ubi solvens quaestionem quare quidditas sit una, dicit quod in substantiis separabilis non est querenda alia causa, quia in eis non est nisi forma, quae statim seipsa est ens et unum; quemadmodum ens statim seipso est substantia et quantitas, et cetera praedicamenta, non expectans aliud, faciens ipsum naturas praedicamentales. Ex qua auctoritate arguitur sic: ens significat quandam realitatem priorem praedicamentis; ergo expectat aliquid contrahens ipsum ad praedicamenta. Consequentia nota, consequens autem est contra Arist. Ergo a destructione consequentis ad destructionem antecedentis, ens non significat realitatem priorem praedicamentis.

Secundo arguitur auctoritate Comment. X Metaph., com. xviii, dicentis, quod hoc nomen ens, unum, significat id quod significat in praedicamento substantiae et quantitatis et qualitatis prima significatione sine medio et non mediante aliqua communi. Quid clarius? Ratione non arguo, quia oporteret egredi limites. Haec de secundo.

Quoad tertium pono opinionem S. Thomae ex duabus conclusionibus effluentem. Quarum prima est ista: Ens significat unum conceptum formalem commune in representando substantiae et accidenti Deo et creaturae.

Secunda est ista: Ens significat ut conceptum objectalem aliquod reale inventum in omnibus generibus distinctum secundum rationem a propriis conceptibus objectalibus omnium generum, nullum gradum supra naturas genericas, specificas et individuales exprimens.

Pro intelligentia terminorum nota, quod conceptus est duplex, formalis et objectalis. Conceptus formalis est idolum quoddam, quod intellectus possibilis format in seipso representativum objectaliter rei intellectae: quod a philosophis vocatur intentio seu conceptus, a theologis vero verbum. Conceptus autem objectalis est res per conceptum formalem representata in filio terminans actum intelligendi. Verbi gratia, conceptus formalis leonis est imago illa, quam intellectus possibilis

format de quidditate leonina, cum vult ipsam intelligere: conceptus vero objectalis ejusdem est natura ipsa leonina representata et intellecta. Nec putandum est cum dicitur nomen significare conceptum, quod significet alterum tantum: significat enim leonis nomen conceptum utrumque, licet diversimode, sed namque signum conceptus formalis, ut medi, seu quo, et est signum conceptus objectalis, ut ultimi, seu quod. Unde idem est loqui de conceptu entis et de significatione ejus.

Probo ergo conclusionem primam taliter. Omnia similia quacumque similitudine etiam analogae seu imitativa secundum id in quo assimilantur, possunt per eandem imaginem representari; sed Deus et creaturae, substantia et accidentis habent similitudinem inter se saltem analogam: ergo secundum id in quo assimilantur, possunt per eandem similitudinem representari. Sed assimilantur in esse: ergo eadem similitudine poterunt representari in quantum habent esse: similitudo illa est conceptus formalis entis; ergo, etc. Processus clarus est, et propositiones ab omnibus sunt concessae: cum major fuerit dilucidata, quam sic ex notioribus suademus. Ubique invenitur agens producere sui similitudinem in alio, si id aliud producat aliud simile sibi secundum id, quo ipsum assimilatur primo: oportet tertium assimilari utrique, ea ratione quia quicquid est simile alicui in eo quod illud est alteri simile est simile utrique: sicut species Sortis in oculo meo producta ab imagine Sortis in speculo est similitudo representativa utriusque et figura Sortis, in speculo a qua immediate est causata, et figura Sortis in seipso a qua est mediate causata. Sed ita est modo, quod inter habentia analogam similitudinem Deum et creaturam, substantiam et accidentis, reperitur hujusmodi habitudo in ordine ad conceptum formalem; igitur, etc. Fit autem hoc sic manifestum exemplariter: sapientia divina producit sapientiam humanam, quae est quaedam sui similitudo (imperfecta tamen), sapientia autem humana producit similitudinem sui in intellectu nostro, quae nil aliud est, quam sapientia in esse intentionali: sicut sapientia extra est sapientia in esse naturali. Cum autem similitudo ista sapientiae in intellectu representet sapientiam humanam secundum id quo illa assimilatur sapientiae divinae, quia representat eam secundum propriam rationem formalem, sequitur de necessitate, quod hic unica similitudo representat utramque, humanam scilicet et divinam: utpote quae similis est utrique, licet ab humana sit immediate exemplata, a divina mediate. Ex hoc exemplo in terminis transcendentibus, qualis est ens. Cum enim esse creaturae assimiletur esse divino a quo exemplatum est, et esse accidentale assimiletur esse substantiali a quo emanat: similitudo producta in intellectu ab esse substantiali sive accidentali in quantum assimilantur, erit omnium representativa imago, et cum conceptus non requiratur ad intellectionem nisi ut objectaliter representet rem unico conceptu intellectus in Deum et creaturam in eo quod ens feretur, et similiter in substantiam et accidentis. Nec oportet ponere plures conceptus et multiplicare entia sine necessitate. Quod autem hic sint non solum secundum mentem S. Thomae dicta, sed etiam secundum expressionem sententiam, patet in quaest. de potentia Dei, q. vii, art. 5, in corpore, unde hanc rationem accipi; et in eadem quaest., art. 6, ubi circa finem corporis quaest. adduxit exemplum de speculo, et dicit expresse, quod sic se habet conceptus noster ad Deum et creaturas sicut species rei visae in speculo: ita quod Deus se habet ut res producens similitudinem quam in

speculo, creatura ut species in speculo, conceptus noster ut similitudo extracta a specie in speculo utriusque representativa. Unde nullus mentis compos potest hoc negare in ejus via.

Conclusio secunda habet tres partes. Quoad primam declaratur sic: conceptus objectalis entis est id quod representatur per ejus conceptum formalem: sed ejus conceptus formalis representat id, in quo assimilantur omnia entia realia, quod oportet in eis esse; ergo conceptus objectalis entis est aliquid reale inventum in omnibus. Secunda propositio assumpta licet patere possit ex dictis tamen declaratur adhuc. Sicut conceptus formalis animalis representat fundamentum similitudinis genericæ, et conceptus formalis hominis representat fundamentum similitudinis specificæ, et universaliter qualibet imago communis pluribus in representando representat fundamentum similitudinis inter illa plura, ut patet in exemplo supra posito de specie in oculo causata a specie Sortis in speculo: quum illa representat non similitudinem inter speciem in speculo et Sortem, cum sit relatio, sed fundamentum illius similitudinis puta qualitates et lineamenta quæ sunt in utroque: sic conceptus entis formalis representat fundamentum analogicæ similitudinis in esse inter omnia entia realia existentis, quod in omnibus esse absque opere intellectus ex eo patet quod similia sunt extra animam: cum hoc fundamentum representatum sit conceptus objectalis entis, ut dictum est, patet conceptum objectalem entis esse aliquid reale inventum in omnibus: quod erat in prima parte conclusionis positum.

Secunda pars conclusionis sequitur ex ista. Si enim conceptus objectalis entis invenitur in omnibus, et nullus conceptus objectalis proprius substantiæ aut accidentis invenitur in omnibus, consequens est quod non omnino sunt idem, et quod saltem ratione distinguatur conceptus entis a propriis omnium conceptibus objectalibus: quod erat secunda pars conclusionis.

Tertia pars ejusdem sic declaratur. Si conceptus objectalis entis esset aliquid gradus supra gradus específicos et genericos, tunc consideratis præcise gradibus específicos et genericis, cum eorum præcise passionibus, non esset in eis ut sic, invenire passiones entis. Hoc est falsum. Ergo a destructionibus consequentis, etc. Consequentia declaratur. Quia enim animal dicit alium gradum ab homine, ideo homini secundum differentialem conceptum præcise non insunt passiones animalis, ut ostendit falsitas istius reduplicativæ, Homo inquantum rationalis, est bipes, circumloquendo per ly bipes, passionem animalis propriam; et similiter si ens dicit alium gradum a substantia, sequitur quod considerata præcise ratione constitutiva substantiæ, substantia non est una, nec vera nec bona, etc., quæ nominant passiones entis, etc. Falsitas consequentis probatur sic. Homo inquantum rationalis præcise est unum quid unitate, quæ est passio entis: homo inquantum rationalis dicit alium gradum ab ente, secundum te, contra quem arguo; ergo passio entis convenit aliis gradibus ab ente præcise, ut sic acceptis: quod est oppositum consequentis. Prima propositio assumpta habetur ex Scoto in II Sent., dist. III, q. 1, tenente unitatem mediam minorem unitate numerall et majorem genericæ esse passionem entis, et sequi naturam specificam ratione ultimæ differentiæ. Manifesta quoque fit sic pro nunc eadem propositio: Homo inquantum rationalis est indivisibilis formaliter, supposito quod rationale sit ultima differentia: ergo homo inquantum rationalis est unus formaliter; unitas enim nil aliud est, quam indivisio. Sed de hoc

(cum de unitate naturæ agetur) amplior erit sermo. Nunc autem sufficiat, quod in gradibus específicos præcise acceptis et similiter genericis, est invenire passiones entis: quod erat probandum, et consequenter, quod ens non significat distinctum gradum a naturis específicos et genericis: quod erat tertia pars conclusionis.

Sed tunc, ex quo res significata per hoc nomen ens est aliquid inventum in omnibus, et non est gradus distinctus contra específicos et genericos, declarandum superest quid sit. Quod si declaratur, gradus quicumque genericus vel specificus, vel differentialis vel individualis, habet in se unum quod multis modis concepti possit: et secundum quod quilibet gradus est habens esse, nomine Entis importatur, et ad conceptum objectalem entis pertinet: secundum vero quod absolute talis gradus consideratur, nomine proprio significatur, et conceptus objectalis illius est, verbi gratia, humanitas ex sua propria perfectione formali, qua distinguitur contra reliquas universi perfectiones, habet quod per conceptum formalem humanitatis representatur et cognoscitur et significatur Humanitatis nomine. Humanitas, ut sic etiam habet quod sibi debeat, seu conveniat esse quidditativum, et actualis existentia: et sic representatur conceptu formali entis tanquam pars sui objectalis conceptus, et entis nomine significatur. Similiter animal hæc duo in se habet, et sic de aliis. Unde conceptus objectalis entis sunt naturæ genericæ et specificæ, ut habentes esse; sic enim fundant analogam similitudinem, de qua loquimur, et propterea ens et passiones ejus in quolibet gradu præcise accepto salvantur: quilibet enim gradus ut sic, habet in se unde sit, et indivisus sit et conformabilis intellectui et appellui, etc., quod a ponentibus ens abstrahibile a gradibus específicos et genericis salvari non potest. Quod autem hæc sint secundum doctrinam S. Thomæ diligenter intuentem ejus doctrinam censorem constituo. Infra tamen cum de analogia entis agetur, hoc ostendemus: pro nunc satisficiant hæc dicta, præsertim, quod tam prima quam secunda pars conclusionis ex præcedente conclusione sequitur quam constat esse S. Thomæ.

Tertia autem pars ab omnibus Thomistis asseritur unanimiter. Sic ergo patet qualiter ab omnibus entibus utpote similibus abstrahibilis est conceptus entis, non modo Scotistico, et patet, qualiter sit verum quod hic S. Thomas dicit, scilicet: essentia significat aliquid commune omnibus naturis omnium generum et specieum: non enim intendit quod essentia significet aliquam naturam communem omnibus naturis, sed quod significet omnes naturas, ut assimilantur in hoc, quod essentia sunt: quælibet enim naturæ ut sunt (quibus res sunt) essentiæ rationem habent: sicut quælibet res habent rationem entis, ut sunt habentes esse seu quæ sunt.

Et quia illud, per quod res constituitur in proprio genere vel specie, est quod significamus per definitionem indicantem quid est res. Inde est, quod nomen essentiæ a philosophis in nomen quidditatis mutatur. Et hoc est quod philosophus in VII Metaphysicæ frequenter nominat, quod quid erat esse, idest hoc, per quod aliquid habet esse quid. Dicitur etiam forma, secundum quod per formam significatur perfectio, vel certitudo uniuscujusque rei, sicut dicit Avicenna in II Metaphysicæ suæ. Hoc etiam alio nomine natura dicitur, accipiendo naturam secundum

primum modum illorum quatuor modorum, quos Boetius de duabus naturis assignat, secundum scilicet quod natura dicitur esse illud, quod quocumque modo intellectu capi potest: non enim res intelligibilis est nisi per suam definitionem et essentiam. Et sic etiam dicit philosophus in V Metaphysicæ, quod omnis substantia est natura: nomen autem naturæ hoc modo sumptæ videtur significare essentiam rei secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam operationem rei, cum nulla res propria desituiatur operatione. Qualitatis vero nomen sumitur ex hoc, quod per definitionem significatur: sed essentia dicitur secundum quod per eam, et in ea res habet esse.

In hac tertia parte huius capituli declaraturus quomodo differant nomina essentia inter se, enumerat quinque ejus nomina: primo scilicet essentia, quidditas, quod quid erat esse, forma, et natura: quorum ratio et differentia satis clare ac manifesto sermone in littera traditur, adeo ut addere non sit opus.

Nota tamen circa id quod de Boetio affertur, quod Boetius in libro de duabus naturis et una persona Christi, naturam quadrupliciter accipit dicit. Primo omne intelligibile: secundo omnis substantia: tertio principium intrinsecum motus; quarto specifica essentia seu differentia: quos modos (si Boetium non habes) vide si placet in II Sent. S. Thomæ, dist. xxxvii, quest. i, art. 1: primo modo accipit hic naturam S. Thomas quoniam sic communi est essentia substantialibus et accidentalibus genericis et specificis, etc.

CAPUT II

Substantiarum essentiam proprie dici, accidentium autem non nisi secundum quid, ostendit: nobilioras item esse simplicium essentias, quam compositarum substantiarum probat: quod demum essentia substantia composita non materia, non forma, vel inter ea aliqua excogitata relatio, vel quippiam ipsi composito superadditum, sed ipsum sit compositum, variis rationibus demonstrat.

Sed quia ens absolute et primo dicitur de substantiis, et posterius, et secundum quid de accidentibus; inde est quod essentia proprie et vere est in substantiis: sed in accidentibus est quodammodo et secundum quid, etc.

Expedito primo propositorum exequetur in hac secunda parte tractatus, quomodo essentia in diversis diversimode invenitur, quod secundo loco propositum erat; primo declarat, quomodo essentia invenitur in substantiis compositis in tribus capitulis; secundo in substantiis separatis duobus capitulis; tertio in accidentibus unico capitulo. Circa substantias compositas tria declarantur in illis tribus capitulis. In primo, quid sint entia substantiarum compositarum; in secundo, quomodo differant inter se essentia substantiarum compositarum; in tertio, quomodo se habeant ad intentiones logicas. Incipiens autem exequi in hoc cap. quomodo essentia in diversis diversimode invenitur. Primo hoc declarat in communi, omnes essentias universi ad invicem comparando in duabus comparationibus. Secundo, quid sit essentia substantiarum compo-

sitarum tribus concisionibus negativis, et quarta affirmativa. Tertio movet dubitationem quamdam circa conclusionem affirmativam, et solvit eam. Facit primo comparationem primam inter essentias substantiarum et accidentium tali conclusione: Substantia vere et proprie habet essentiam; accidentis autem secundum quid. Quam sic probat: unumquodque sicut est ens, ita habet essentiam: sed substantia est ens simpliciter, accidentis vero est ens secundum quid; ergo substantia habet essentiam simpliciter, accidentis autem secundum quid. Major ex dictis in præcedenti capitulo patet. Minor licet habeatur VII Metaph., in principio, tamen sic probatur in littera: illud est ens simpliciter de quo eas absolute et primo prædicatur, et illud est ens secundum quid, de quo eas posterius, et secundum quid dicitur: sed de substantia ens dicitur absolute et primo, de accidente autem posterius et secundum quid; ergo substantia est ens simpliciter, accidentis vero secundum quid.

QUÆSTIO III

Nam ens per prius de substantia, posterius de accidente dicatur, ar de utroque univoce.

Circa hanc particulam dubitatur, an ens per prius dicatur de substantia et posterius de accidente, an univoce de utroque. In hac questione quinque agenda sunt. Primo declarabitur titulus. Secundo ponetur opinio Scoti. Tertio arguetur contra illam. Quarto ponetur opinio S. Thomæ. Quinto respondebitur argumentis in oppositum.

Quoad primum sciendum est, quod aliquid dupliciter contingit de aliquibus prædicari per prius et posterius. Uno modo secundum esse illius prædicati. Alio modo secundum propriam rationem ejusdem. Illud dicitur prædicari analogice (secundum esse) quod perfectius habet esse in uno quam in alio et sic omne genus prædicatur per prius et posterius de suis speciebus, eo quod perfectius esse necessario habet in una specie, quam in alia. Unde com. xr, Met., com. n, dicit quod prioritas et posterioritas specierum non impedit unitatem generis, et hoc modo non querimus hic; per se enim notum est omnibus, quod ens perfectiori modo est in substantia quam in accidentibus, et quod hoc modo prædicatur per prius et posterius.

Illud vero dicitur prædicari analogice, seu per prius et posterius secundum rationem propriam, quod de uno prædicatur sine respectu ad aliud, de altero vero non nisi in respectu ad aliud. Verbi gratia: sanum prædicatur de animali sine respectu ad dietam, medicinam et urinam; de istis vero prædicatur non nisi in respectu ad animal. Dicitur enim animal sanum absque additione aliqua, urina vero non dicitur sana, nisi quia est signum sanitatis existentis in animali, et dieta similiter non est sana, nisi quia est conservativa sanitatis, et sic de aliis. Cum enim diffinitio sanum prædicatum de animali, non ponet in ejus diffinitione respectum ad aliquid horum. Cum autem diffinitio sanum prædicatum de urina, in diffinitione ejus ponetur respectus ad sanitatem animalis cum ipsa animalis sanitate, et similiter in diffinitione diætæ et medicinæ in eo, quod sanæ sunt. Dices enim (ut jam dictum) quod urina est sana, in eo quod signum est sanitatis, diætæ in eo quod conservativa, et medicina in eo quod causa est illius: et hoc modo veritè hic in dubium an ens prædicatur analogice, ita quod absolute prædicatur de